



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vitae Sanctorvm**

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1603**

Martyrivm SS. Virginvm Nvnilonis & Alodiæ: quæ passæ sunt anno Domini  
851. in Hispania: Ex Ioanne Maldonato Hispano.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42787**

*Pudicitia  
nunquã cap-  
tiva.*

tulit. Hæc ego vobis narraui senex; & castis hi-  
storiam castitatis expono. Virgines castitatem  
custodire exhortor. Vos narrate posteris, vt  
sciãnt inter gladios & inter deferta & bestias,  
pudicitiam nunquam esse captiuam: & homi-  
nem Christo deditum posse mori, non posse  
superari.

*Vide C. Ba-  
ron. in Not.  
ad Martyr.  
Roman.*

MARTYRIVM SS. VIRGINVM NV-  
nilonis & Alodia: qua passa sunt anno Domi-  
ni 851. in Hispania: Ex Ioanne Maldonato  
Hispano.

22. Octob.  
\* Mahomete  
iuxta Gene-  
brardum.

*Abderha-  
mes Hispanie  
Rex an-  
no Christi  
851.*

ANNO redemptionis humanæ 851. \* Ab-  
derhame regni Hispaniæ gubernacula  
tractante, impium promulgatur edictus;  
vt Christianus quilibet ex vtroque vel altero  
parente genitus Ethnicus, Christum abnegaret,  
vel iugulum ensi traderet. Cumque in territo-  
rio Berberano propè Olcam, duæ sorores, Nu-  
nilo & Alodia, Ethnicis parentibus, Christiana-  
que matre genitæ, primis ab annis matrem se-  
quutæ, Christianam pietatem meditullitus im-  
biberant: cognatus earum quidam de deserendo  
Christo, paternoque ritu resumendo anxius  
eas sollicitabat. Orbatæ siquidem vtroque pa-  
rente nullam faciebant matrimonij spem, sed  
omni cura & ornatu, quæ nobiles solent comi-  
tari puellas, postpositis & abiectis, soli Chri-  
sto, sanctæque religioni indulgebant. Quare  
propinquus ille nobilitatem ac stemmata sui  
generis propagari percipiens, vel potius ti-  
mens ne bona fisco addicerentur, quod edicta  
virgines principum contemnerent, à Christi-  
cas

eas dogmate ad da monum culturam pro virili  
 studebat auocare. Verùm cùm cõtemni se, ver-  
 baque sua irrita deperire manifesto cognouit,  
 detulit ad proconsulem eas in ritu Christiano  
 agere. Quæ continuò ad tribunal ductæ, mul-  
 tisque verbis interrogatæ, Christum liberrimè  
 concelebrarunt, constantissimeque prædica-  
 runt. Tum licitor Numiloni, natu maiori, Com-  
 pone, inquit, ceruicem, vt lethalem tibi infe-  
 ram plagam. Illa libenter impigreque faciès,  
 gladium media mandibula excepit; & cùm ex-  
 animis procumbens, crura paululum nudasset,  
 soror statim cum omnium admiratione accur-  
 rit, & veste, quod nudatum erat, obtexit. Ag-  
 greditur tum proconsul Alodiam, subijciens;  
 nostris obtempera præceptis, si mortem præ-  
 sentem effugere vis. At illa sororis animam  
 cælos penetrantem cernens Præstolare me pa-  
 rumper, inquit soror: genibusque flexis ca-  
 put percussori obtulit: quod vno icu ampu-  
 ratum est.

*Accusantur  
 apud Procō-  
 sulem.*

*Caduntur  
 capite.*

MARTYRIUM SS. SERVANDI ET  
 Germani: passi sunt in Hispania, sub Viatore  
 Vicario: Anno Christi 303. Marcel. Papæ 7.  
 Dioclet. & Maxi. Imper. 20. Ex Ioanne Mal-  
 donato Hispano.

*Vide C. Ba-  
 ron. Tom.  
 2. Annal.  
 & Notat. ad  
 Martyr.  
 Rom.*

SERVANDVS & Germanus sacro Chris-  
 tianæ signati, fonteque baptismatis ablu-  
 ti, demones malos ab humanis corporibus  
 effugabant: languores IESV verbo sanabant.  
 Et cum per Hispaniam id temporis horri-  
 da tempestas in Christianos ingrueret, ni-  
 hil

23. Octob.

*Clarent mi-  
 vaculis.*